

Petrus de Vinea

*Ep. III 1 (Dum debitorum
nostrorum cirografa legimus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 1 (Dum debitorum
nostrorum cirografa legimus...)*

maggio 1236

Principibus Alamanniae, ut ueniant apud Parmam, celebraturi ibidem sollempnem curiam.

1. Dum debitorum nostrorum cirografa legimus, dum kalendarii nostri nomina diligentissime perscrutamur, et nos debitores aliis euidenter agnoscimus, et aliorum nos esse prospicimus creditores. 2. Hinc igitur pulsantis ad ostium iusta nos urget instantia, ne fenore pregrauemur; hinc ad exactionem debitorum nostrorum, pericula promittens negotiis, mora nos prouocat, ne ipsae pereant actiones. 3. Ab illo namque bono patrefamilias protinus et instanter a nobis exigitur debitum, qui peregre proficiscens peculium suum sollicitudini nostrae supposuit, cui talenta, quae tradidit, reddere cogimur duplicata. 4. Sed et uersa uice nos excitat Cesareae fortunae fastigium, ut ab eis, quos Romanae dicionis habet Imperium, subiectionis et obedientiae debitum requiramus. 5. Mirabile tamen utrumlibet condicionis est debitum, si subtiliter intuemur, cuius solutio debitoris emolumenta non minuit, auget fidem; immo magis soluenti crescit in commodo, quam suscipienti proficiat in augmento. 6. Ceterum si in eo, prout tenemur, satisfacimus proponenti et propositi diligenter officium impendamus, et temporalis honoris stipendia querimus, dum clarificamur in fama, et retributionis aeternae fiduciam capimus, dum proficimus in salute. 7. In iussu Dominico «Quae sunt Dei Deo et quae sunt Caesaris Cesari persoluantur» emolumentum enim solutionis in totum fere soluenti relinquitur, dum recipienti etiam magis commodi et honoris acquiritur, quam soluenti uexationis et oneris aggreguetur. 8. Ea namque sunt omnia, si uerum respicimus, subiectorum grata leuamina, quae sunt etiam principatus; in hoc etiam gratia regis

extollitur et seruatur, si in equitate pacis populum dirigat et in iustitiae uigore conseruet. 9. Ad quorum primum non sine regnantium salutis et uitae discrimine laboratur; legimus namque plures pro quiete publica populorum labores eximios assumpsisse. 10. Nec ex toto secura iustitia per reges et principes ministratur, qui, dum inferiores iudicant, superiori iudicio reseruantur. 11. Et quamquam tanti sollicitudo ministerii quibuslibet terrae principibus debeat, Romani tamen Imperii ueneranda sublimitas, quod in omnium presidentium oculis uelut in speculo collocatur, tanto perfectius zelari pacem compellitur, tanto tenetur instantius uacare iustitiae subditorum, quanto totius orbis ambitus quodammodo spiritu uiuit Imperii, ut eo languente langueat, et ipso prosperante letetur. 12. Nec solum in temporalibus solaciis Christiani populi tenebras Romani sceptri fulgor illuminat, sed ipsi catholicae fidei fulcimenta non leuia subministrat, cum etiam matrem Ecclesiarum omnium, Apostolorum Sedem, inter totius Imperii uiscera collocatam, a qua Ecclesiae urbium singularum et locorum quorumlibet auctoritatis insignia contrahunt et instruuntur exemplis, hereticorum perfidiis uel aliquorum iniuriis concuti non permittat. 13. Propter quod gratissimum offerre Deo uiuo putamus obsequium, si zelo laudabili et constanti proposito ad totius Imperii statum pacificum tanto libentius aspiremus, quanto preclariori presagio hoc de celesti colligimus uoluntate. 14. Nec enim ob aliud credimus, quod prouidentia Saluatoris sic magnifice, immo mirifice, dirigat gressus nostros, nisi quod, uoluntati Dominicae dispositi in uotis, ea perficere gerimus per quae Christi sponsa heradicatis zizaniis salubriter gubernetur, sicque dum ab Orientali zona regnum Hierosolimitanum, Corradi

carissimi nati nostri materna successio, ac demum regnum Syciliae, preclara maternae nostrae successionis hereditas, et prepotens Germaniae principatus, sic, nutu celestis arbitrii, pacatis undique populis, sub deuotione nostri nominis perseuerant, sic illud Ytaliae medium, quod nostris undique uiribus circumdatur, ad nostrae serenitatis obsequia et Imperii redeat unitatem. 15. Nec in hoc prouidere tantummodo commodis nostris intendimus, sed in hoc crucis negotium directissime procuratur, dum rebellibus nostris circa partes Ytaliae in gremium nostrae gratiae reuocatis, expectationes multorum nobilium desiderato fine precidimus, qui uota sua in euentu huiusmodi suspenderunt, ne crucis signaculo presignitos Christiani cruoris effusio – licet iusta, ob debitum et honorem Imperii et regni Syciliae – macularet. 16. Nos etiam, de cuius manu potissimum circa predicta prestolatur presidium, sine tacita saltem redargutione multorum, relicto in tam nobili regione Imperii nostri corpore lacerato et dissimulata ueteri rebellionem rebellium, assumere tantum negotium non possemus. 17. De sinu etenim ipsius Ytaliae supradicta discordia ad honorem Dei et Imperii laudabili fine sedata, grande producere speramus auxilium Terrae Sanctae, quae uelut incolis populosa, uicina maritimae glebaeque cultu fructifera, in oportunitatibus omnibus se utilem nimium exhibebit. 18. Ad haec igitur omnia salubriter procuranda, nostris non indulgere laboribus nec parcere sumptibus disponentes, estate presenti personaliter cum nostris principibus intrare condiximus Lombardiam. 19. Ad haec considerationumstrarum assiduos cogitatus potissime dirigentes: ut, eradicata in Ytalia heretica prauitate, iura Ecclesiae et Imperii reformemus ibidem; ut pacem, discordiarum scismatibus

fatigatis, et quibuslibet passis iniuriam sine acceptione qualibet personarum iustitiae copiam ministremus – scimus etenim, ueritate testante, quod nobis malignum aliquod aduersari non poterit, dum iustitiae solio presidemus –; ut ad expiandum inimicorum fidei piaculare flagitium in partibus Transmarinis, de communi Cismontanorum et Ytalicorum consilio, uotis communibus unanimiter aspiremus. 20. Ad quod nostrum precipue et totius Christianae uniuersitatis presidium nostra non tantum utilitas, sed ipsa necessitas instanter inuitat, cum treugarum finis, quas nos in ipsis partibus existentes inuiimus cum soldano, fere in ianuis habeatur. 21. Quare de nostrorum consilio principum apud Parmam sollempnem curiam duximus indicendam, ad quam ab Vrbe citra omnes urbium Ytaliae nuntios inuitamus. 22. Ibique quam plures nobiscum principes nostros habebimus in honorabili comitiua: legatos etiam omnium regum Occidentalium partium, quos fere omnes affinitatis nobis uinculum unanimes iam effecit, ibidem procul dubio nos credimus habituros; ut intentionis nostrae salubre propositum, quod de subsidio Terrae Sanctae, reformatione iurium Imperii et Ecclesiae in Ytalia et statu pacifico regionis eiusdem pia mente concepimus, in sollempnem et publicam prodeat notionem. 23. Etsi tanta rebellium fuerit inuenta proteruitas, quod nec ad Deum nec ad decus Imperii uelint habere respectum, tum celebris tribunalis in eos materialis gladius exeratur, qui nullius appellationis remedio suspendetur, sed in rem transiens iudicatum, effectum dante Domino debitum euestigio consequetur. 24. Vt in omnibus antiquus et debitus mos et honor Imperii conseruetur, ecce quod ante faciem nostram de principibus nostris aliquem premitteremus, cui

plenariam dabimus potestatem uniuersitates quaslibet ac personas etiam singulares, extra culminis nostri gratiam in banno Imperii existentes, in plenitudinem nostrae gratiae recipere, prout honori nostro et Imperii uiderit expedire, illo presentibus expressim inserto, quod nos promittimus inuiolabiliter obseruare, et obseruari ab uniuersis et singulis Imperii fidelibus et principibus faciemus, quicquid de reformatione nostrae gratiae cum quibuslibet uniuersitatibus et personis per ipsum extiterit ordinatum; nec minus honori et uoluntati nostrae satisfactum habebimus, quicumque, dicto principe mediante, nostram gratiam debita deuotione deprecatur, quam si a nobis ipsam presentibus obtineret. 25. Tu uero, uelut fidelis et prudens, te ipsum ueniendi ad curiam supradictam honorifice prepares, Potestatibus, consulibus, Consiliis atque Communibus Cumanae, Mediolanensis, Pergamensis, Vercellensis, Alexandrinae, Brixienensis et Laudensis ciuitatum ex parte nostra precipiens, ut ambassiatores suos, ciuitatum ipsarum auctoritate munitos, in dicta curia ad nostram studeant presentiam destinare; qui ex parte uniuersitatum suarum, tam super Terrae Sanctae negotio, quam super reformatione Imperii et iusto ac pacifico statu terrae, nostris et Imperii se mandatis exponant. 26. Scripsissemus utique predictarum uniuersitatibus ciuitatum, nisi quod omnino preposterum principum consilium crederet, ut deuotionem ipsarum imperialium apicum scriptura preueniret; nec nostra prescriptio litterarum merito poterat illis gratiam nostram exponere, qui eam assequi non nituntur. 27. Nos enim gratis auspiciis, in festo beati Iohannis Baptistae proximo nunc futuro, aquilarum uitricia signa mouebimus ab Augusta, subsequenter in festo beati Iacobi dictam regere curiam

disponentes, illo nobis uiam feliciter ostendente, qui
nouit prosperum iter dirigere, ac faciente qui potest.